

DE SVMMO BONO.

LIBER.



VONIAM sumnum bonum vnicuique illud est , quod nec vlla in parte deficitur , & in optimâ operatione cōsistit : hominis autem optima operatio est intelligere: propterea sumnum hominis bonum est in intelligentia , siue defectu alicuius rei. At ergo si bonum sumnum est id possidere , scire que possidere (nam si nesciamus , id iam defecit quod ad columen beatitudinis maximè pertinet) ideo quid sit sumnum bonum , & si multipliciter dicatur , & quomo lo purari possit , scire necessarium est. Iam vero de summo bono , quamquam id optimura sit quod post mortem haberi speramus , sermo non est : quoniam id neque adeò apud plerosque certum est , nec nostri arbitrij est ipsum consequi : & id ubi fas sit consequi totam felicitatem animæ amplectitur. Verum de eo tantum quod viuentes assequimur , nunc dicere propositum est.

Est igitur primum dubitatio , an omnium sit vnum sumnum bonum , an per paronymiam dicatur de omnibus , an vnicuique suum sit sumnum bonum ? Ergo vnicuique suum esse sumnum bonum , & dici per homonymiam , per absurdum est. Vnum vero esse simpliciter , & secundum eandem rationem dici , Regib. & mendicis , sapientibus & idiotis , flagitiis & secundum virtutem viuentibus , impossibile est: nam sic vel miseri summo bono hui poterunt , vel soli reges : at reges quidem patet: sumnum autem bonum humanum maiori parti , aut saltem pluribus communicari debet. Sic etiam in ceteris animalibus : in virie auctem proculdubio vniuersis. Quocirca si pluribus communie esse potest , paucissimi autem eo fruuntur , id aliter contingere non potest nisi quia ipsum adipisci non norunt. Quapropter scientia de summo bono maximè necessaria est. At quoniam diffusè in libris de utilitate capienda ex aduersis tractata est , reliquum est ut hic compendiosè doceatur : non solum ut promptior paratu sit , sed ut anteacta de Somniis doctrinam huic negocio pernecessariam esse doceamus. Dubitari igitur potest , an hoc sumnum bonum in re aut opinione solum consistat , aut in utrisque. Deinde , an præterita aduersa hominem prohibeat à summo bono possidendo : nam de presentibus & futurorum expectatione haud dubium esse debet. Rursus qualia sint que hominem à summo bono possidendo prohibere possunt : ac etiam que maximè ad hanc possessionem conferant : neque enim verisimile est in tanta diueritate bonorum animi corporis &

fortunæ , in tot generibus actionum , omnia esse necessaria : utpote exercitationem in arte gloriosam , & ocium : & que sunt necessaria , omnia ex æquo esse necessaria : sed bona animi atque corporis præcedere : & in ipsis fortunæ bonis potiores amicis esse filios , & honoribas potentiam , atque huiusmodi. Vtrum etiâ sumnum bonum seni conuenire possit , & mulieri : nam de puerò haud dubium est , non posse. Demum , que & quanta & quomodo necessaria ad sumnum bonum parandum , retinendumque. Vnde illa : Mortis expectatio non impedimento esse summa bono. An sumnum bonum excidere possit nobis ? Et rursus , an reparari ? An sumnum bonum in aliena potestate ? An sint plura genera summi boni ? Quinam fuerint potissimum beati ? vnde totius operis conclusio.

Duo igitur sunt capita adipisci sumnum bonum : ipsum dignoscere primum , deinde quo adipisci possit intelligere. At sumnum bonum est in operatione animæ perfecta , sine defectu. Vtrum vero sine defectu nullus rei ? certè non : nam sic nemo summi boni compos esset , quandoquidem etiam maximis regibus plura deesse necesse sit. Ergo quinam defectus impedit sumnum bonum ? an necessariorum tantum ? Non : nam si alia superueniant bona , habebit aliquis summo bono quippiam maius : hoc autem esse non potest , ut scilicet summo aliiquid in eo genere maius sit : licet enim filios habens beator sit non habente , & probos improbis : vnicuique tamen (velut vasi alicui , cum plenum est , tunc sumnum quod continere potest , adeptum est) suum sumnum bonum est , cuius est capax : quo sit , ut & seni suum sit sumnum bonum , cum que seni congruunt , adfuerint. Mulieri autem & puerò non ita : quoniam non inest sapientia : que si adsit , nihil minus sumnum bonum poterit adipisci ac consequi quam vir. Seni enim nihil obstat nisi vita breuitas : at omnis vita breuis est , ut in libro de Minimis edocuimus. Cætera paria sunt , aut etiam maiora in sene quam iuvene : ut mortis certa expectatio , imbecillitas , ac rei ipsa . Sumnum igitur bonum dici debet id , cuius quilibet est pro natura capax : ut enim vas , velut diximus , exadæ plenum dicitur , non cum certam mensuram liquoris continuerit , sed cum nil ei deest ad oram : ita sumnum bonum dicitur , cum quis habet quod natura & per statem ei concessum est. Et ut plenum dicitur vas , etiam quum aliiquid deest , sed minimum , ad oram utique : ita etiam si aliiquid deest ad summam perfectionem conditionis suæ , nihil minus , modò exiguum sit quod deest , felix &

summo bono potiri dici potest, ac etiam inveniatur. Quæ ergo erunt quæ deesse non oportet? non nec essentia solum, non prorsus nihil: sed, ut diximus, ea erunt, quorum ille capax fuerit: non omnia hæc: nam capax ego sum regni, an ergo non beatus nisi Rex fuero? neemo prorsus sic beatus erit: atque eo magis, quod omnes maiorū quam sint capaces se existimant. Quæ igitur deesse non oportet, palam est necessaria esse, non simpliciter, sed ad commodum vitium. Iam ergo scimus, in quo summum bonum consistat necessariorum ratione.

Quæ vero efficiunt summum bonum: quoniam in anima id consistit, est scientia possessionis eius: possessio autem aut est in virtute, aut in scientia & experimentum docet, & exemplum: nam Di⁹ qui summum bonum possident, sapientissimi sunt. Discendo quoque cum summam capiamus voluptatem, indicium est, in scientia summum bonum consistere. At de virtute maior est dubitatio: recteque fecisset Aristoteles, si paradoxum hoc euidentius demonstrasset, quod etiam & ipse & qui eum secuti sunt parvum obseruantur. Nanque virtutum operationes non solum felicitatem patere non videntur, sed omnes ferme nos contristant: continentia, patientia, fortitudo, mansuetudo, misericordia, liberalitas. Prudentia etiam habitus nos reddit sollicitos, licet opus ipsum commodum post sit. At contra voluptates omnes in vitiis repositæ sunt: concubitus, lautæ comedationes, vindicta, rapina, dolus, inertia, atque flagitiosa deinde vita tota, alea, ebrietas: & quando nequiora, ed iucundiora.

Itaque summum bonum in sapientia collocauerim, & ut nil desit commodi: optarim autem, & secundum virtutem hominem vivere, saltem ob eam quæ post obitum felicitatem expectatur. Atque sic iam habemus alterum membrum ac principale summi boni, scilicet sapientiam.

Sed qualis sapientia rerum aut nobilior, aut certiorum, aut utilium. Nobiliorum quidem, Dei, Mundi, Vitarum, originis Animæ, Dæmonum, certiorum, ha⁹ sunt Mathematicæ: utilium, naturalium, & ornatus dicendi, dialecticæ. Quamobrem magna stulticia laborant perlegendis his libris, qui nil horum continent: eripiuntque nobis charissimam omnium rem, tempus scilicet. Dum etiam illud iactant, nullum esse librum tam malum qui non aliquid boni contineat. At cur ergo nucem esse non emit? hoc tam stultum purat, perdere assēm, cum quadrante decemnūces emere liceat: & tamen nux aliquid est boni: & non summam dementiam esse putas, perdere octo dies in lectiōne inutilis libri? At qui sint libri viles, aut de rebus altissimis, aut certis, alias diligenterissime docuimus.

Nunc verū illud consideremus, in quo felicitas optima consistat: an in rebus, an in opinione, an in utroque? Siquidem in rebus ipsis, homo summum bonum possidere poterit, nec scire se possidere: itaque non in solis rebus consistit. Si vero in sola opinione, stulti ac miseri summo bono frui poterunt: quod absurdissimum est: relinquitur igitur, summum bonum consistere in rerum optimarum possessione, & opinione recta.

Porrò opinio hæc triplex esse potest: aut ut arbitremur habere, quod habemus, tanquam necessarium: aut non habere, nec esse necessarium, nec esse: aut esse utile: nam existimare se habere quod non habemus, aut non esse necessarium quod necessarium est, nō est summi boni, sed amentia non mediocris pars. Ergo existimare necessarium esse quod est, & non necessarium quod non est, ad summum bonum facilius consequendum conductit. Quod vero utile est, bonum est existimare non esse necessarium, esse tamen utile: velut, qui vas plenum habet, non tamen usque ad marginem, si etiam curauerit æquare, recte fecerit, & si neglexerit: ita de utilibus, non autem necessariis dicendum erit.

Porrò necessaria ut cognoscamus, non alia ratione fieri potest, quam si illorum genera constituiamus, & magnitudinem: veluti genera sunt certe, sapientia, incolumitas, opes, ac libertas: reliqua omnia, præter filios, non nisi ad ipsum, & ob ipsum conducunt: honores dicto, gloria, magistratus, amici. Nam huiusmodi non necessaria sunt: & si eis non indigeas, inutilia, & etiam gratia. Quamobrem & Aristoteles, qui adeo amicitiae fuit, paucorum admodum esse vult: nostra autem ætate præfiterit forsan nullius: quandoquidem hoc unum illud omnes considerant, amorem amanti inutili esse.

Sed neque familiares, neque coniunctos habere bonum est, nisi pro ratione opum. Quatuor igitur illa sufficiunt.

De filiis autem dubitatio magna est: nam seu animus sit immortalis, seu communis aliando omnium hominum interitus, filios non habere aut melius erit, aut summum bonum non impediet: at si animi interirent, generatio vero animantium æterna esset, ei qui suscipere potest filiorum generatio inter necessaria numeranda erit: nam filij ob id suscipiuntur, ut quod mortale est, per propagationem reddatur immortale: sed si animus est immortalis, non indigemus, cum simus nos ipsi nobis superstites: sin autem generatio aliquando tota extinguitur, frustra querimus quod haberi non potest. Itaque meo iudicio, ne nimis non premamur, inter utilia tantum reponi debet.

Quantitas vero sapientiae definienda non est: sed quando maior fuerit, ed capacius fieri vas illud summi boni: reliquis modis impoñendus est. Verum libertas modo opus non habet: perfecta enim esse debet incolumitas tanta, ut neque aduersa valetudine vita breuior reddatur, nec incommodè ad negotia petragenda se habeat. In opibus solùm queritur hæc mediocritas. Aristoteles sic metit, ut se & ancillam alere queat. Diximus autem de hoc suo loco, nempe in libris De utilitate capienda ex aduertis.

Reliquum est, ut agamus de impedimentis summi boni: quandoquidem summum bonum in scientia possessionis eius consistat. Sunt autem duo quæ maximè obstant, ne adipiscamur: non dicam, quæ adeptum evertant: neque enim hoc adeo tam facile est. Siquidem quæ prohibent adipisci, sunt, inconsulta ratio vivendi atque loquendi, & non satiari bonis: uno enim impeditur, ne parate possimus necessaria

cessaria beatitudini: altero, ut etiam partis vti, non licet. Quocirca deterius hoc est primo, cum vtrique periculo, qui hoc vicio laborat, obiciatur. Ergo qui iam ad ipsi sunt sumnum bonum, his vt iis carent: & si carent, non facile amittunt, nisi fortuna aut casu. Principio igitur summa diligentia vti decet. vt sub tyrranis non vivamus: nam nulla felicitas, nulla sapientia tanta esse potest, quae sumnum bonum nobis praestet, vbi iusticia non colitur habitantibus.

Duæ enim virtutes maximè faciunt ad beateque viendum: priuata vna, prudentia scilicet: altera publica, siquidem iusticia. Ergo qui hanc curam neglexerit, is operam (vt dicit solet) atque oleum perdet. Sunt autem multa genera tyrannidis & regni, de quibus loqui præsentis non est instituti.

Patria inuenta optima, obfirmabis animum ad fortuita, & ad moderationem, ne vel repentinorum aduentu frangaris, vel nunquam contentus viuis: itaque imponere modum omnibus decet. Et id cogites, quod si mortem aliquando perferre cogeris, multo facilius alia minora pati decet. Inde in vicetu pareus & diligens, & rei simul & valetudini consules. Cauebis verò ab ignotis, ab inimicis etiam reconciliatis, ab improbis, mendacibus, lusoribus, vanis, inconstantibus, qui nulla arte viuant, quive mendici sunt. Et secundum loci mores viues. Id tecum etiam reputa, nemini esse curam recti aut æqui, vel fidei vel amoris: verba omnia simulata, ficta, & ad fraudem detorta: quanto blandiora, tanto magis metuendum: homines omnes in suo commodo felicitatem reposuisse: aliquot etiam in alieno incommodo: amicitiam constare vtilitate communi: reliqua omnia esse inania, præter impudicitiam, quæ & ipsa locum inuenit: quæ tamen exæcta, gracia etiam perit.

Cùm verò aduersa fortuna premeris, noli pugnare acriter: sape enim nauigantes aduersis ventis, etiæ eos superent, submerguntur. Multo minus iratus verbis contendes: hoc enim proorsus leuis hominis est, & magnorum malorum causa, boni nullius.

Coniecturis ages, & somnia expende: eaque ratione quæ in priore libro dicta est, vteris. His in casibus nil nisi confutò age: meditare singula verba: cum his qui inimici non sunt, blandis vteris verbis: cum inimicis autem si loqui cogaris, puris, sed ambiguis, quæ tamen à minis omnino absint. Ventosi enim hominis est minari, nec lèdere: stulti autem, minari, cùm velis lèdere, si per minas ille se tueri possit: quanto stultius, cùm etiam offendere: Pati oportet: & tum Epi&etii illud maxime conducit: Patere & abstine. Vide etiam cum quibus rem habeas, quæ tempora, quæ regio, quæ aliis eueniant. Absurdum est, procul exemplum petere, quod tibi propius est:

Multos alterna reviens

Lusit, & in solido rursum fortuna locavit.

Iam verò videamus, an præteritæ infelicitates, quæ non manent, evertere possint summum bonum, aut prohibere: velut mors vnici filij, amputata manus iudicio publico: quorum malorum vestigia extant: nam de his quæ nihil relinquunt, non est dubium: quinimo creditum est, etiam augere felicitatis opinionem.

Itaque de his sic statuendum est: quod quæ aliquid de necessariis minuant, vt manus amputata, & totus patrimonij amissio, prohibet summum bonum: quæ verò de filiis dicuntur, si spes sterps auferatur, tollunt summam bonum, si filij inter necessarias partes connumerantur: si non auferatur de summa plenitude, & ad marginem usque aliquid auferunt, non tam sumnum bonum prohibent retinere aut adipisci: præsertim in excellenti virtute. Ergo in bonis ipsis ordinem constituiere decet: vt primùm vitam præponamus, inde vnicum filium, inde corporis incolumitatem, post libertatem, inde patrimonium, vniuersum, post filij salutem, vnius de pluribus: nam honores, gloria, gratia, omniaque huiusmodi, facilius reparantur.

Vitia verò, quæ obsunt post illa duæ: & virtutes, quæ profunt ad possidendum beatitudinem, hæc sunt: stultitia, vanitas, ira, garrulitas, prodigentia, simplicitas, inertia, summa, timor, & immēta cupiditates, ac voluptratum desideria: atque hæc tria præcipue summo bono, etiam si nil deficit, frui prohibent. At quæ iuvant, sunt: continentia, prudentia, efficacia, parcitas, grauitas, fortitudo.

Quomodo verò quis ferat mortis expectationem, nec sumnum bonum amittat, nunc est considerandum. Videtur enim graue, mori necesse esse, & felicem vivere talia meditare. Verum, vt dixi, summum hoc bonum, hominis sumnum est bonum, velut formica magna, non simpliciter bonum: nam si nihil supereret, nihil est bonum: sin autem supereret anima, in illius successu bonum omne ac malum repositum est. Bonum ergo hoc sumnum est, velut lusus puerilis, exiguis, breuis, inconstans, impurus arque imperfectus. Et tamen sumnum est bonorum humanorum. At dices: Huiusmodi bonum sumnum minus est alterius non summo bono. Verum est: sed quoniam capacitatem illius non explet, nec sumnum est, nec etiam felicem magis reddit illum: sed velut vitrea vas, si arca contineantur, ita vt nil deficit, nilque vacui relinquatur, tunc deferuntur: si non expleantur, franguntur: in minore etiam idem accidit ita vnicuiusque sumnum sum bonum, felicem illum reddit, etiam si parum sit.

Maxima ergo pars summi boni est, non torqueri aduersis. Et si quis iniuriam passus sit, & non discruciat, summo bono potiri potest: at cùm dedecus & infamiam cogitat, pudet exire, libertas partem amisit: ideo nec summo bono potitur.

Sapientiam discere ad summum bonum pertinet, libros scribere minimè: itaque quædam non faciunt ad summi boni possessionem: vt gloria, decus, honor, forsan & filij: quæ tamen amissa impedient. Scribere libros magnus est labor: non quicquam adiicit ad ea quæ summi boni sunt partes, nisi quis nouam inueniret sapientiam. At legere ac scire, ad summum bonum conductunt: inquit ipsum scire, vt dixi, præcipua pars est summi boni.

Virandæ ergo sunt causæ dedecoris, ne libertatem amittamus. Quod si in illud incidimus, aut ferendum constanti animo, aut abeundum in aliam regionem: quod multis fecisse vidi. Vitandi labores superflui: expensæ magnæ,

magnis, & causis inopis, & impedimenta sapientia.

Videretur autem absurdum, summum bonum excidere posse in nobis, si quicquam in nobis aliud perpetuum esset. Verum non cuncta non solum caduca, sed etiam brevis temporis esse videamus, haud mirari debemus, & hoc ipsum quod natura sua perpetuum est, ac quasi perfectum, excidere: ob id errarunt plerique philosophi, maximè Stoici, non ad hominis, sed solum rei naturam respicientes: qui dixerunt, felicitatem esse constantem, & ob id eam in virtute sola collocarunt: ita ex uno falso supposito multa absurdia evenerunt. Sed non est ita: nam nec summum bonum, vt dixi, in ipsa virtute: multo minus sola, collocatum est: & si esset, morte etiam abrumperetur: & nobis etiam viventibus, dum ex virtutibus, quod homini familiare est, ad vitia prolabimur.

Quo sit, ut si excidere possit, possit & reparari: ea enim est natura rerum, ut quæ excidere possint, & possint reparari, modò subiecta res maneat. Non facile, ut nec alia, in senibus huiusmodi reparantur: vt si obliuionem aut morbum quis euadat infelix: at si amissio patrimonio, vel libertate, quid prohibetur? Sed neque exilium tollit summum bonum, sed solum illud absolutissimum, quodque ad marginis limbus peruenire deberet. Minusque quam mors filij: siquidem minus graue est, & in integrum restitu potest. Cauenda est enim diligenter in his qui summum bonum (ut nos, & rectè) in sapientia, cui commodi nihil desit, constituant, ne in aliquo irreparabile malum quod summo bono obster, tametsi minus sit, incident. Vnde melius est in exilium mutti, quam digito manus priuari, aut debilitari oculo, aut claudum fieri. In exilio enim solum est lesio libertatis, ac diminutio, non ablatio: & restitui potest homo, & interim spe alitur, que omnes miseris sustentare solet. At si vincula & periculum mortis iungantur, ut etiam labor, velut tritemis: tunc debilitati cruce minus malum est, aut etiam oculo, quam sic damnari, propter mortis periculum.

An vero mors sit summum malum, atque eppositum summo bono, considerandum est. Ergo mors ipsa cum sit ultimum terribilem, teste Aristotele, summum erit homini malorum. Mortuum autem esse summum auferit bonum, & profus: sed & omnia mala, ipsumque moti. Ergo mors sumnum est malorum, prasertim his qui (ut nos) de summo bono rectè sentiunt: mortuum autem esse, omnino indifferens, neque bonum neque malum. Itaque & mortis dilectissimorum recordatio dolore nos afficit, & meritò: at quod iam obierint, discruciare non debet: quandoquidem à summo malo iam liberi, scilicet morte, atque illius formidine, quod tam magnum est ut ægrè tueri possimus dari in hac vita summum bonum. Ob hanc, si summum bonum ad mortis tempus referatur, eiusque memoriam, in illis erit aliis in rebus que eam memoriam tollunt collocandum: quod & plerique faciunt mortales: sed hoc nō est summo bono frui, sed malum malo, & forsitan etiā deteriore trudere.

Vnde difficultas questionis solutio emerget. Dicit enim quipiam: Purpurati & pro-

cures, ducesque, qui plus habent quam quod commodum sit, nonne beati sunt, & magis quam in mediocri fortuna? vel ergo aliiquid maius est summum bono, vel illi non sunt beatiores quam in priuato statu. Cū ergo tanto impetu ad potentiam & opes & gloriam ferruntur, vt vitam periculo non temel expellant, obliniscanturque Deorum, recti, amicorum: ac quod maius pluribus videtur, his voluptatibus scilicet, & propria salute? Et vulgus etiam eos suspicit, & beatos esse affirmat.

Dicimus ergo, esse in summo bono idem quod & in cateris rebus mortalium. Optimus cibus benevolentibus, panis & caro: potus, haud dubie vinum: ægris tamen nihil horum, sed aqua pro vino, prisana pro pane & carne danda est: ita his qui mortis aduentum timet, & qui cupiditatibus vexantur, nulla est via ad summum bonum possidendum, vt diximus. Quare ipsa mortalibus admirabilia, potentia, gloria, gloria, honores, opes, pro medicamento sauciæ sunt: tametsi cum dolore, tristitia, metu, periculo, vitæque iactura sint. Simili enim modo qui scabie gravi laborant, solatiū scalpendo & cutem ynguibus laniando recipiunt, nulli tamen sano hoc iucundum est, nec simpliciter inter bona & voluptates hoc numeratur ab aliquo rationis compore, imò ne ab ipsis quidem ægris, sed necessitatē omnium dominam solum excusant. Vt vero his melius tamen est scalpi, & cutem proscindere, quam proflus disrupti, quod in tam leui (vt videtur) affectu summum malum sit, adēd ut tyranni regesque Persarum, quos oderant maximè, omisis gladiis, rotis, palis, ignibus, melle oblitos & nudos in Sole muscis expulerent, vt sic gratius perirent: sic huiusmodi homines suis immoderatis in cupiditatibus exerceti permettere oportet, non quod sic agendo summum bonum possideant, sed quod à summo tantum malo, scilicet irritis cupiditatibus liberentur. Ceterum rectè consideranti, hi homines nequam sibi, sed aliorum votis viuant: & quanto celebriores fuerint, & maioribus in dignitatibus constituti, praesides prouinciarum, Senatus, Questores, atque etiā Reges ipsi. Quod si modò quid blandum ex cogitari possit, est spes potentiaz successorum: quæ quam fallax sit, quam parum (etiamsi bene cedat) compenset tot labores, molestias, curas, pericula, metus, atque injurias in Deos, facile quisque intelligit: non est ergo huiusmodi hominibus beata vita in his, sed miserrima, si cessare cogantur.

An vero summum bonum in aliena sit protestate, praestandi quidem, vix vnquam tollendi, nemo dubitate debet: quandoquidem in illa mera virtute, vt Philosophi antiqui, illud non reposuerimus: nam nec res ita se habet, nec experimentum suffragatur: stultramque existimamus, in mortali re immortale aliiquid comminisci velle: habeat hoc anima vinculis soluta corporeis: dum detinetur, mortale illi sufficiat bonum. Magnis casibus itaque concidere solet: at raro: quod frequens est, ob immoderatos amores rerum caducarum: ob id, qui summo bono potiri cupit, studiat nil plus amare quam præstet, sed minus potius quam debet: id enim vilius est.

Verae vero summi boni humani seu beatæ vita

vitæ sint plura genera, considerandum est. Videntur sane, ut dixi, vera summa bona in eisdem consistere, pro ratione personarum. Quæ autem non sunt verè summa bona, & quæ parum aut multum deflectunt, varia habent generas in adulterina in omnibus rebus. At sutorum, fabrorum, studiosorum, nobilium, differtunt beatæ vitæ, non quidem genere ipso, sed magnitudine: quandoquidem in illis quatuor aut quinque rebus, quas diximus, sunt constitutæ.

Beati ergo fuere plerique philosophi, ac fermè omnes præter Diagoram, ob pietatem: ac Epicurum, ob eandem causam: Diogenemque ob nimiam paupertatem: Anaxarchum, pauculosque alios. Xenophilus musicus, & Aglaus Plophidius, Gorgias quoque Leontinus, Antonius, Castor, Euhippus Argivorum rex: nec desunt singulis temporibus multi in ea conditione.

Sed ediuerso vnum sufficiat exemplum alienæ, sed quam pluris homines faciunt, infelicitatis. Franciscus Buffalus Romanus ciuis, duos filios vidit ob seditionem securi perculfos: duos alios, qui se mutuis vulneribus conficiebant: alium, qui nouercam occidit: filiam, quæ præsente marito venenum sumpsit: hæ sunt scenæ mortaliæ, & calamitates maximæ: quas tamen si quis eo iudicio secum reputet, dicens: Nudus in hunc mundum veni, quicquid habeo pro lucro est, precariò id accipi, omnia sum relicturus: æquo animo cuncta feret ac tolerabit. Phratros in hoc negocio libenter adnumerarem, si qui sponte adierint: his enim necessaria non desunt, studiis operam dant: libertatem habent, sed non absolutam: plurimi grauius premuntur.

Cæterum illud consideratione diligenti indiget, an exercitatio in arte, utpote medendi, vel causas tuendi, vel alia huiusmodi, ad summum bonum conferat, an illi repugnet. Vi-

detur enim aliqui ex ocio torqueri, alij ob nimios labores: alij feliores esse ob lucrum & gloriam. Verum omnia hæc ad summum bonum, in eo qui iam commoda consecutus est, nihil pertinent: atque ita est. Nisi enim filios habueris, aut fratum vel sororum germanarum filios, nihil profundit hæc curæ, sed pro deliciis, & exercitatione diurna habendæ sunt: securus verò, graues & molesta. At si filij adsint, alterum genus summi boni exsurgit, vel si filij fratru[m] scilicet, ut illi possint comodi viuere. Id autem quomodo, iam superiùs dictum est. In uniuersum ergo si felicitas, beata vita, summum bonum in habundo consistit, quod optimum est, & vt non desinet commoda (omitto modò quæ de libertate & incolumente dixi: optimum autem est scientia, eaque sola vix auelli à nobis possit: ut si nobilissimum non solum, sed etiam securissimum eorum quæ optari possunt) manifestum est, omnium aliarum rerum curam & amorem deponere oportere, aut maxima ex parte imminuere, eum qui optimum bonum possidere velit. Itaque hoc summum bonum consistit in sapientia, & summo illius amore: tum libertate, incolumente, & commodis: eademque in his qui ad perpetuitatem attinent, scilicet filii, fratumque vel sororum filiis: & vt nihil aliud ita ames, vt si pereat, tibi lugendum sit, aut dolendum. Quæ autem maximos æstus levant, etiam luxus, sed præsertim amoris, sunt, concubitus v[er]que ad virium defensionem: sunt enim ex eodem fonte, & hauriunt, vnde ignes: & sanguinis similiter ad deliquium animi evacuationes, & dolores atque labores magni, & per vim tolerati: & longa rerum obliticia, velut per ea quæ omnem sensum obtundunt: & ludus, præsertim larruncolorum, quamvis alioqui malus: & cogitatio eius æqualitatis quæ est post mortem, maximum hac in causa auxilium afferunt.

F I N I S.

D E